154

Sigismundus Dei Gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ & dominus et hæres. Reverendo in Christo Patri domino Ioanni Dantisco Episcopo Varmiensi sincere nobis dilecto.

Rnde in Xto Pater sincere nobis dilecte.

Perfertur ad nos in civitate nostra Gedanensi novos iterum motus fieri, atque cum alia quædam agi, contra quam constitutum per nos fuit, tum illud imprimis, ut contra receptum morem sacrosanctæ catholicæ et orthodoxæ ecclesiæ communio sub utraque detur. cavendum itaque esse videmus, ne hæc istorum intemperies erumpat latius, ac satius fore putamus, ut mature huic novandi studio obviam eamus. quod qua ratione nos aggredi oporteat à Paternitate vestra consilium nobis dari postulamus, nam pro officio nostro providere cupimus pro virili nostra, ne qua fiat religionis novatio. factura pro fide et officio suo. datum Cracoviæ septima Decembris annô Domini millesimô quingentesimô, quadragesimô secundô. regni nostri annô trigesimô sextô.

Ad mandatum proprium
Sacræ Regiæ Majestatis